QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS X. DECEMBRIS,

M. IOANNE CHARTIER Conſ. Med. Regis, Schol. Lect. ord. Doctore Medico, moderatore.

897

Eſt-ne ſimpliciter fractorum & luxatorum oſſium curatio, ſola Σύνθεσις?

CORPVS humanum, etſi ex diuerſi generis partibus componatur, quæ vndequáque περιγραφὴν habent propriam, earum tamen connexione, & conſpirante in eundem vſum cognatione, vnum efficitur: cuius vnionis ſuæ cupida natura, vnicuíque parti elementari ac organicæ (vt vnionem ſuam conſeruarent) eſt elargita δύναμιν, quæ membranas partium αἰσθητικά efformauit; muſculos motus organa: Venas ſanguinis conſeruatrices; & arterias ſanguinis viuifici. Oſſa autem σκληρότατα, & στρυφνότατα lapillorum inſtar, vt χάρακας creauit; quibus hæ partes innixæ munere ſuo rectiſſimè fungerentur. Partium porrò omnium diuortium eſt λύσις ἑνώσεως, quam ſolutionem, non elementaris pars ſolùm habet inimicam, nec organica: ſed vtríque communem Ars Medica, vt reliqua αἴτια, præcipuè expellit συνθέσει; & partes ſeparatas ſtudio naturæ & artis auxilio reparat, componit, adaptat, & coniungit.

CORPVS omne ex tribus vnum eſt, ipſum enim omne & omnia tribus determinantur, ipſa enim tria omnia ſunt, & τὸ τρὶς πάντη. ταῦτα δὲ τῆς τριάδος vnum eſt, quod verò vnum eſt, perpetuò eſt idem; & quidquid ſemper idem eſt illud æternum, vt ea lege vnionem ſuam ſummoperè diligens natura, vt vna, immortalitatem ſibi compararet; vt ex elementarium & organicarum partium ſeparatione mortem & λύσιν. Organorum nihil citiùs vnionem ſejungit quàm igneus calor (febrem ſic nominamus) licet vnicuíque parti elementari alia ſit inimica ſuæ vnitatis ſolutio, ſic muſculorum πάθος; τῶν χρώτων vlcus: vaſorum ἐγχυμώσεις, & ῥαγώσεις. Fractura autem eſt perpetui & vnius oſſis abruptio ſoluta carne vel illæſa (ne credas tamen oſſa pedis & manus illæſa carne poſſe perfringi) & luxatio vnitam compoſitionem quàm oſſa cùm oſſibus per ἄρθρον poſſident ſoluit ac ſeparat. Sed Σύνθεσις (quæ διαιρέσει & ἐξαιρέσει tanquam mediis ad finem naturæ vtitur) pars Chirurgiæ princeps his oſſium affectibus per Συνθετισμὸν & Ἀρθρέμβολον ratione duce medetur intendendo, conformando, alligando & continendo; callo denique firmando; quod opus non artis, ſed naturæ proprium eſt ac peculiare.

IN omni fracturarum genere vbi intenderis natura σύμμετρος redditur, ea tamen ratione vt in humero vim φαυλοτέρην, aliquando methodicam vt in σκαφίῳ, vel organicam admittas. In pede oſſa non intenduntur, ſed diſtenduntur & ἀναγκάζονται, à ſuperiori parte deorſum, idque ſemper ἴχνευ ratione. In crure valentiùs intendendum & interdum ἐξ ἀνάγκης. Femur autem plus iuſto intenſum non læditur. In διαπλάσει oſſa ἐγρύπτονται; quam niſi præcedat intenſio, vana conformatio quæ διόρθωσιν partibus elargitur; caue itaque extenſum, flexum, pronum vel ſupinum brachium figurare; ſed in ἐγγωνίῳ habitu poſitum; crus contra extenſum compone. Deligatio ſine intenſione & compoſitione noxia, hæc faſciis perficitur & laqueis, pannis, ferulis. Faſciatio inflammationem arcet, partem continet affectam non comprimendo nec laxando. In ſimplicioribus fracturis duabus faſciis vti, ad ὑποδεσμίδας eſt ſatis, quarum prima ter qua fractura, non ἔνθα ἢ ἔνθα volui debet, & ad ſuperiores partes adduci; altera contrario ordine, diſtinctioribus interuallis vergit ad ſuperiorem partem. Panni poſt ὑποδεσμίδας, iíque leniores, cerato inuncti ſecundùm partis longitudinem extenduntur. Præterea ἐπίδεσμοι, vtráque membrum peruerſum à contrario habitu ad naturalem reſtituunt; bini inter ſe aduerſi, & circularibus pannis permixti, qui ὑπόξηρα cæteris eiuſdem membri partibus reddunt æqualia. Ferulis ante ſeptimum vti imperiti eſt. Nullum autem membrum mitella continetur niſi μετέωρον, ea ratione vt ſola fractura ſuſpenſis aliis partibus non contineatur, neque partes fulciantur medio ſuſpenſo, & ſi altera pars cùm fractura contineatur altera parte ſuſpenſa, peſſime totum ſe habet: aliter autem ſimplicium fracturarum curationem aggredi ſit nefas.

ΑΡΘΡΩΝ ratio nequaquam diſpar, intenſio enim vnicuíque parti figuram, magnitudinem, & colorem tribuit. Figura organorum, quælibet hyperbolica peſſima, melior quæ ἀσχήματος; optima verò quæ ἐν τῷ ἐλινύειν; ideóque κατὰ περίσφαλσιν humeri articulus, vel brachio retrò ad dorſum dato ſecundùm naturam minimè reſtitui poteſt. Propè autem ad naturam vergit vbi per calcem vel διὰ τοῦ κατωμισμοῦ; at ſuper ſcalam & piſtillum ἐπιεικῶς ſecundùm naturam; rectè quidem κατ' ἄμβην validiſſimè in contrarias partes intendendum & impellendum eſt membrum; at multò melius per ſcamnum Hippocratis partium omnes articuli ſecundùm naturam reponuntur. Articulus humeri nunquam in ſuperiorem partem excidit, raró in priorem, ſæpiſſimè in inferiorem & poſteriorem. Femur verò prorumpit in interiorem, exteriorem, priorem & poſteriorem. Magnitudo partis figuram ſequitur vt magnitudinem color. Impelluntur oſſa rectâ lineâ per contrarium iter è regione ſui caui, & operâ muſculorum perſæpè reponuntur. In deligatione nulla venarum & arteriarum ratio eſt habenda ſicut in fracturis, tota enim res muſculis committitur cum vinculis partes firmantibus; inter quæ στάχυς ἱέρακος, vel funda humerum repoſitum confirmat.

AD quemlibet morbum profligandum triplicium inſtrumentorum auxilio vtitur Medicina, diætâ, pharmaciâ, & chirurgiâ, quæ mutuas ſibi tradunt ſuppetias; ita vt in fracturarum & luxationum curatione quibuſdam φαυλὴ diæta, aliis ὑποφαυλή, cæteris ἀκριβής victus ratio conueniat; ſic & topicorum admotio partibus luxatis aut fractis auxiliatur; ita coſtarum fracturæ (qui affectus licet aſperior appareat, leuiſſimus quidem eſt) idonea eſt victus ratio quæuis, ita vt deterior ſit inedia quàm cibus. At vbi coſtarum eſt attrita caro exquiſitâ vti oportet; vtrique tamen affectui topicorum admotio (quæ in cerato, linimento, vnguento, cataplaſmate, aut emplaſtro &c. conſiſtit) adiuuat ſummoperè; attamen cum in omni fracturarum, aut luxationum genere, nec topicum, nec diæta, partes corporis ſeparatas coniungat, ſed ſolius manus auxilio partes componantur, alligentur, firmentur denique callo ſtudio naturæ; Oratio hæc iuſta fertur.

Eſt ergo ſimpliciter fractorum & luxatorum oſſium curatio, ſola Σύνθεσις.

294.

Proponebat Lutetiæ FLORIMONDVS LANGLOIS Pariſ. A. R. S. H. M. DC. XXXVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Mathurinus Denyau.
M. Franciſcus le Vignon.
M. Petrus Legier.

M. Ioannes Chartier Præſes, M. R. & Schol. Lect. ord.
M. Ioannes Pietre.
M. Petrus Yon.

M. Gabriel Harduynus de ſainct Iacques.
M. Michael de la Vigne.
M. Iacobus Perreau.